

illo uxor ejus per totum illum annum fecerat, ad mentem revocantes, cuncta protinus ei exposuerunt: deinde hominem de cavernis illis subterraneis educentes, uxori propriae, vicinis omnibus, et populo ad tantum spectaculum concurrenti mirum dictu, post annuam sepulturam, incolumem reddiderunt, qui simul congregati, et quod pro eo mulier fecerat, et quod ille de sese narrabat examinantes; eisdem diebus panem quo reficiebatur, candelam qua illustrabatur, et in illo specu oblata fuisse inveniunt, quibus mulier pro ejus requie et missam celebrari faciebat, et sacerdoti missam celebranti panem simul et candelam offerebat.» Hucusque Petrus Cluniacensis.

Sed audiamus etiam qua ratione Deus puniverit derisores oblationum. Balth. Chavassius de notis fidei, l. II. cap. scribit factum, ut ait, sibi notissimum. « Quidam secta Calvinianus ante aliquot annos Metis in Lotharingia, ibi cum essem, curiose ingressus templum quoddam catholicorum, hominem vidit ad altare humiliter supplicentem factaque oratione duo ova offerentem quo recedente, socio suo dixit: O papistam superstitiosum! Vadam et mihi auferam oblationem, quam stolidam hanc gallina edidit. Mox a socio paulo moderatiore audit: Si mihi credis, abstinebis, sinamus illos ritu suo vivere, sicut ipsi nostro volumus: quid alienum servum judicas? Domino quisque suo stat aut cadit. Gratulemur nobis lumen illud singulare, quod a Spiritu sancto accepimus, et quo si hic aliquis destituuntur est cur nos illorum misereat, sat severus vindex erit Deus in omnes, a quibus in religionem committitur. Non sapuit his monitis sed ait: Verba seminas; tu si vis tibi tempera, oblationem, ut dixi, mihi auferam eam in jentaculum crastinum cum sociis meis inducturus; non sine risu. Dictum factum, extendit ad oblationem impias manus, domum repetit, jentaculum parat, socios accersit, quid acciderit narrat, in risum effunditur, blasphematur, ovi unius vitellum sorbendum in os mittit. Adhuc erat esca in ore ejus, et ira Dei ascendit super eum, impiam mox exhalavit animam, stupescuntibus qui aderant, et discentibus quam non irrideatur catholicorum Deus. »

Intelligitis hinc, auditores, nequaquam perire, quod Ecclesiae et Deo offertur, sed largissime remunerari, si non in hoc, saltem in altero saeculo. Verum mundus parum allicitur mercede futuri saeculi, ut quae ipsi incerta videatur vel diu saltem expectanda sit. Hinc omnes pene omnium oblationes hominibus et fere opulentis fiunt a quibus vicissim munus aliud praestantius expectant in hac vita exhibendum, curvae in terris animae: sed quae sunt mundi dona? Quae

remuneraciones? Quae gratiae et favores nonne fumus? Nonne foenum? Misit aliquando S. Basilius Juliano imperatori apostatae optima sane mentes tres panes hordeaceos pro benedictione. Sed quid ei muneris remisit impius apostata? Foenum remisit, dicens: « Dat nobis hordeum, pabulum jumentorum, accipiat vicissim foenum. » Sed respondit ingrato imperatori Basilius: « Nos quidem, imperator, ea tibi obtulimus, quibus ipsi vescimur: tu vero ea nobis restituis, unde bruta victitant, ultro quidem nos irridens. » Refert Chavas. de notis Eccles. l. I. c. XV. Profecto hic Julianus typum mundi expressit. Quid enim mundus solet pro exhibitis sibi muneribus, obsequiis, amicitiiis, quid rependere solet? Jumentorum pabulum, rex fluxas et inanes, quibus nutriuntur homines carnales; uno verbo foenum, quia: *Omnis caro foenum*, clamat Isaia. Itaque si sapitis Christiani, dona et obsequia vestra salubrius impendite, et Deo destinate, qui est omnium remunerator.

## CONCIO IX.

DOCUMENTA EX EVANGELIO.

I. Qualis justitia a Christianis requiratur. — II. Plebeiis audiendum potius Dei verbum quam legendum. — III. Abhorrendum ab homicidio. — IV. Reprimendi iracundiae motus. — V. In ecclesia sunt altaria et sacrificia. — VI. Reconciliandi fratres. — VII. Christiana libertas non excludit legem.

## THEMA.

Ego autem dico vobis. Matth. V.

Quando Deus in monte Sinai promulgavit legem cum terrore et majestate, Exod. XX. consternati inde Judaei dixerunt Moysi: *Loquere tu nobis et audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. Itaque promisit eis Dominus prophetam de gente ipsorum, quem audire deberent, quod si non audissent, se ultorem fore, Deut. XVIII. Propheta iste Christus est, uti testatur S. Petrus, Act. III. qui veterem Dei legem cum omni mansuetudine clarius nobis proposuit, uti fecit imprimis in sermone habito in monte, unde hodiernum evangelium desumptum est. Itaque nemo unus sit, qui non audiat hunc prophetam, nisi malit Deum habere vindicem. Audiamus igitur legislatorem et doctorem nostrum, quae potissimum documenta tradat nobis in hodierno evangelio.

I. Docet, qualis justitia et vitae integritas a Christianis requiratur; major nimirum quam fuit olim Scribarum et Pharisaeorum; siquidem hunc sermonem habuit Christus non ad discipulos tantum suos, sed et ad omnis generis

homines, uti ad finem sermonis indicat Matthaeus, c. VII. dicens: *Et factum est, cum consummasset Jesus verba haec, admirata sunt turbae*. Porro Pharisaeorum vita praesertim in tyrocinio rigida erat et in speciem sancta. Multos annos colebant castitatem et virginitatem, victus eorum simplex et frugalis erat, vigiliis et orationibus vacabant, unde aliqui in assere admodum angusto vesperi quiescebant, ut si quis largius dormisset, in pavementum decideret, ut rursus excitaretur ad orationem. Alii lapillos, alii spinas sibi subternebant, ne in profundum somnum deferrentur, jejunabant bis in sabbato, dabant decimas ex omnibus, quae possidebant, spinas gerebant in fimbriis vestium, ut earum puncturis admonerentur legis observandae: ita ut Pharisei essent apud Judaeos, quod apud nos religiosi, uti scribunt partim Josephus, lib. XVIII. antiq. cap. II. et alibi, partim Epiphanius, haeresi XVI. partim Hieron. in c. XXXII. Matth. His tamen omnibus contentus non erat Christus, sed voluit nos meliores esse, quia nimirum haec opera illorum defectuosa erant. Quid ergo respondebunt, qui non modo non talia, sed nec minora praestant? Quid respondebunt illi, qui nunquam jejunant, nunquam aut rarissime orant? Quid, qui perpetui in popinis sunt et legis divinae nunquam recordantur? Si enim rejiciuntur illi, qui bona opera non recte faciunt, quomodo probabuntur ii, qui haec omnino non faciunt? *Non intrabitis in regnum caelorum*, ait Dominus iis, qui bona opera faciebant, etsi non bene: quid dicet illis, qui nulla faciunt, sed vivunt in christianismo, non ut Christiani, sed potius ut pagani? Nimirum id: *Nunquam novi vos, discite a me omnes operarii iniquitatis*. Et nunquam se probant, an per angustum id foramen intrare queant. David certe cum Goliath pugnaturus, postquam armis Saulis indutus erat, tentavit: *Si armatus incidere posset*; sed videns se gravari et retardari, ea deposuit. Ad hunc modum probare se quisque debet, num cum hac sua vivendi ratione salvari queat. Quid haeretici, qui haec opera bona non modo non faciunt, sed etiam irridunt, et nullam omnino justitiam habent aut admittunt? Quid enim illi facient, cum aliquando Deus requiret justitiam illorum? Num sola interna fides, sine operibus bonis salvare eos poterit? Atqui praeter eam Christus plus aliquid requirit, opera nimirum bona, quae melius et abundantius fiant, quam opera Pharisaeorum. Non enim excludit omnino opera Pharisaeorum, sed vult ea perfici et a defectibus purgari, ex fide et charitate fieri. Num sufficiet illis justitia Christi imputativa? Atqui Christus requirit justitiam, quae sit nostra, id est, in nobis et non extra nos: quam nos faciamus, et non aliud

juxta id I. Joann. III. *Filioli nemo vos seducat: qui facit justitiam, justus est, sicut et Deus justus est*.

II. Docet, plebeiis verbum Dei audiendum potius esse, quam legendum; siquidem Dominus non ait: Legistis quia scriptum est: *Non occides*, sed: *Audistis quia dictum est*. Ad turbas enim hic loquebatur. Ita fratribus epulonibus ait in persona Abrahæ: *Habent Moysen et prophetas, audiant illos*, Luc. XVI. Doctos tantum ad Scripturam remisit et legisperitos, uti illum, cui dicebat: *In lege, quia scriptum est, quomodo legis?* Itaque plebs audire potius Dei verbum debet, quam legere, quia illud minus habet periculi quam hoc. Nam primo, non facile permittet Christus et mater nostra Ecclesia, ut falsa et adulterina dogmata in Ecclesia praedicentur. Non enim minus sollicitus est Christus et Ecclesia, ut doctores et pastores vera et salutaria praedicent, quam magistratus civilis ne medici, pharmacopola, mercatores et opifices medicinis mercibus et operibus suis fraudem misceant. Et sicut non metuimus, ne medicus aut pharmacopola venenum nobis propinet, cum pharmacis illorum utimur: ita non timendum, ne pastores et doctores Ecclesiae legitimi erronea nobis praedicent.

Contra vero facile decipi potest, quia ex lectione tantum verbum Dei vult percipere; si nimirum non juxta ss. patrum Ecclesiae sententiam, sed juxta proprium judicium Scripturam interpretari vult. Deinde, si contingeret decipi auditores a suo doctore, si deceptionem illam deprehendere et vincere nequirent, excusarentur apud Deum; uti qui consilio medici utitur, et juxta praescriptum ejus vivit, bene facit et nihil damnationis habet, licet noxium quid ab eo recipiat, unde moriatur. Non ita excusantur, qui ex lectione Scripturae venenum errorum hauriunt. Ad auditum legis remisit Dominus plebem, non ad lectionem.

III. Docet, abhorre ab homicidio, quod in lege etiam veteri poena talionis et mortis plebatur; uti Exod. XXI. ubi Deus praecipit: *Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur*: et Gen. IX. *Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius*. Imo ibidem etiam a bestiis requisiturum se ait Deus sanguinem humanum ab eis effusum: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum et de manu hominis, etc.* uti patet Exodi XXI. ubi jubet bovem (et a pari omnem aliam bestiam) homicidam lapidari, ad terrorem vide. licet et exemplum hominum, ut eo magis absterreantur a tam immuni facinore, quod etiam bobus luendum sit. Unde hodieque in multis locis porci aliaque bestiae si pueros aliosve

homines necarint, suspenduntur aut jugulantur. Quinetiam ob hoc ipsum jussit Deus, Deuteron. XXI. ut si cadaver hominis occisi inventum fuerit, egredierentur a civitate vicinissima seniores et cæderent vitulam, lavarentque manus suas super eam, in protestationem, quod ipsi a sanguine occisi innocentes essent: et quod homicidam, si eum deprehenderent, simili modo plectere vellent; vel etiam, ut si is inter præsentem adesset, proderetur. Solent enim naturali quasi miraculo cadaver occisi, si occisor præsens sit, sanguinem sudare. Quæ omnia ostendunt quam severe Deus punire statuerit homicidas; qua re nihil manifestius. Solet enim eos ultio divina in omni loco persequi, ita ut requiem non habeant, et ordinarie mala et violenta morte pereant, juxta id Ezech. XXXV. *Cum sanguinem oderis, sanguis persequetur te.* Vin exempla? Macareus Mytilenensis Bacchi sacerdos hospitem in templum seducens occidit: paulo post filii ejus volentes patris sacrificia imitari, unus alterum quasi victimam jugulavit. Mater id resciscens filium qui reliquus erat, quique alterum jugulaverat, furibunda corre occidit. Pater sacerdos id cognoscens, ipsam matrem conjugem suam mactavit, ideoque captus et confessus crimen ante publicum supplicium, in tormentis animam exhalavit, Æl. lib. XIII. Ibycus poeta cum in latrones incidisset, jam occidendus grues supervolantes obtestatus est in ultionem cædis suæ. Aliquanto post latrones illi in foro consedentes cum iterum viderent grues supervolantes, per risum sibi in aurem susurrabant: *Ecce grues Ibyci.* Audierint forte hoc alii, et in suspicionem rapuerunt, præsertim desiderato jam pridem Ibyco. Itaque latrones comprehensi et interrogati, cum hæsitanter et inconstanter responderent, subjecti sunt tormentis et confessi crimen poenas dederunt, Plut. lib. de loquacitate. Pyrrhi occisores, canis ejus prodidit. Albertus rex Romanorum Rudolphi Habsburg. filius cum Adolphum Cæsarem occidisset, et ipse tandem a conjuratoribus occisus est: sed et occisores ejus fugati et dispersi misere perierunt: dux enim Joannes, nepos ejus exul factus et ab Henrico imperatore captus, et aliquandiu in vinculis detentus, tandem in habitu eremitarum obiit. Udalicus de Palm. Basileæ in domo conversarum diu vixit et obiit tandem. Walterus de Æschenbach, in comitatu Wirtembergensi pastor pecorum factus latuit et post annos viginti quinque moriens, quis esset, dixit. Rudolphus de Wart. ligatus ad equi caudam tractusque ad locum supplicii, fractis membris et dorso, rotæ est impositus. Atque ita quatuor hi occisores justo Dei judicio muletati perierunt, Hier. Ziegl. de viris illustribus Ger. c. LVII. Et quid mirum?

Atrocissimum enim hoc crimen est, quia tollit homini summum, quod est in naturalibus bonum, vitam scilicet, quæ nequaquam reparari potest, semel ablata: non enim uti arbores, ita cæsi renascuntur homines. Deinde, quia terra insontium cruore maculatur: nec aliter expiari potest, nisi per ejus sanguinem qui alterius sanguinem fuderit, ut dicitur, Num. XXXV.

Quæ cum ita sint, videant et considerent quam graviter delinquant, qui hominem neci dant, nullo jure et auctoritate nixi; viderint item, qui alterum ad duellum provocant, vel provocati temere comparent. Quid enim hoc aliud, quam propria auctoritate judicare et condemnare, imo occidere velle proximum, vel occidi velle ab alio? Et parumne tibi videtur peccari in remp. si unum ejus membrum abstuleris? Quod ei conservare ut manus manum debueras, quodque pretio vincit mundum universum? Certe Turcæ monomachias aversantur, quod dicant se imperatori suo vivere, non sibi, Auger. Busbeq. ep. III. legat. Turc. At gladio hoc, inquis, habeo probare causam meam. Deciperis mi homo. Vel enim occideris; et tunc convinceris ex te ipso criminis, qui ad iniquum certamen descenderis vel proximum provocaris, in quo te innocentem probare contendebas: vel occides; et nihilo magis judicio sapientum absolveris; dicent enim non ob majorem innocentiam, sed armorum usum et experientiam aut corporis robur vel dolum victorem te evasisse: vel uterque, aut neuter cædetur; et quid tunc effecisti? Sed de honore meo agitur, inquis, nisi cum hoc gladio vindicem, vel provocatus non descendam in arenam, perpetua notabor infamia. Respondeo: Hanc reputari infamiam a stultis tantum de quibus ait Dominus: *Sinite illos, cæci sunt et duces cæcorum.* Nemo prudens reputabit pro infamia, cedere homini vel tauro furioso, aut approbabit barbaram illam vocem: Veni, jugulemus nos mutuo. Tandem satius est multo committere se infamiae periculo, quam æternæ damnationis. Sed vir et miles sum, ais. Tanto magis imperare passionibus tuis et mansuetudinem colere debes; nam juxta Aristotelem, III. polit. cap. III. longe major virtus a vero, quam a femina requiritur. Non strenuus miles erat David? Et tamen quoties furori Saulis cessit? Quoties ei pepercit, cum necem inferre potuisset? Neque tamen inde minus, sed magis effectus est gloriosus. Quid igitur faciendum, inquis? Ad judicem provocandum, qui ad hoc constitutus est, ut jus cuique dicat. Sed quid si capitaneus, v. g. jubeat aut concedat ambos configere? Respondeo primo, eum hoc facere salva conscien-

tia non posse: *Digni enim sunt morte, ait apost. ad Rom. 1. non solum qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Unde prudentes capitanei hoc non concedunt, et occisoribus minantur laqueum. Respondeo secundo, si id faciat capitaneus, non tamen inde jus acquirit ad duellum, sed defendere tantum te tuosque adversus aggressionem iniquam potes; non enim justum est hominem potius audire quam Deum et Ecclesiam, quæ ejusmodi monomachos, si occidantur, privat sepultura sacra, licet peniteant et sacris muniti obeant, de torneam. c. 1. Sed nemo est, qui hoc faciat, inquis: *Propterea infernus dilatavit animam suam et aperuit os suum absque ullo termino.* Non possum, addis, sustinere hanc injuriam aut infamiam, nomini et generi meo inferendam. Respondeo, Charontis cymbam incede et ad inferos perge: quia qui seipsum et suos amat plusquam Deum, non est Deo dignus.

IV. Docet, reprimere iracundiæ motus et præsertim conspescere injuriosa verba. Quid enim horribilius dicere poterat Dominus, quam: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio etc. qui dixerit: Fatue, reus erit gehennæ ignis?* Ira ex se præcise, cum sit passio animi, mala non est, sed bona potius, data homini ad plectenda et coercenda peccata. Unde sæpe peccatur iræ defectu, quando quis scilicet de data injuria non querit aut sumit ultionem, cum sumenda est, vel non corripit peccatores, præsertim subditos, aut objurgat, uti peccavit Heli non corripiens iniquitatem filiorum suorum. Similiter qui causa correctionis conviciis impetunt subditos et proximos ex bona intentione, peccare non censentur, modo citra perturbationem animi ac justa de causa fiat, ut alias diximus. Debet ergo coerceri tantum ira velut equus, ut ne contra rationem excurrat pro libitu in quemvis, dentibus verborum mordeat aut calcibus verberum noceat. Hæc enim si ex odio fierent, et cum notabili damno aut contemptu proximi, gehennam mererentur, siquidem non modo odium proximi continent, sed etiam in illo odium accendunt, et velut gladius acutus charitatem christianam scindunt. Nam ut amor amorem, ita odium parit odium. Porro si gehennam merentur verba injuriosa jacta in proximum: quid merebitur blasphemia!

V. Docet, in ecclesia esse altaria, ac proinde sacrificium corporis et sanguinis Domini, quod in illis offertur. Hoc ostendunt Christi verba: *Si offers munus tuum ad altare.* Hoc item testatur apostolus ad Hebr. XIII. dicens: *Habemus altare de quo edere non habent potestatem quia tabernacula*

*deserviunt, id est, Judæorum sacerdotes.* Ubi autem est altare, ibi sacerdos et sacrificium esse debet, quia hæc tria correlativa sunt. Convincuntur ergo hæretici nostri, qui altaria vel demoliti sunt, vel negligunt et spoliant, non habere sacerdotes et sacrificium: majores autem nostros eucharistiam habuisse pro sacrificio et missam, necnon veros sacerdotes. Convincuntur novitatis et hæreseos; testantur enim altaria quæ in templis eorum vel excisa sunt vel adhuc extant neglecta, majores nostros non habuisse spiritum Lutheri et Calvini.

VI. Docet, quamprimum reconciliari fratri tuo, siquidem jubet Dominus recedere ab altari eum, qui fratrem habet infensum, et prius reconciliari illi. Et quidem si tu geras odium seu aversionem et vindictæ cupiditatem ex injuria seu præsumpta ortam, omnino et mox deponere debes, si ignosci tibi velis a Christo dicente: *Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris,* Matth. XVIII. Quod si proximus a te aversus est, et tu causam odii ei subministrasti, et tunc, si superior vel æqualis tibi sit, mox per te vel interpositum aliquem apud illum veniam deprecare, juxta Christi monitum. Nec pudere te hujus facti debet: *Est enim confusio adducens gloriam,* (Ecc. IV.) si tamen est confusio. Certe si ab alio læsus esses, supplicari tibi velles: cur ergo non vicissim læso supplicaveris? Si inferior vel subditus sit, quem offendisti, alia ratio est, de qua sic Augustinus, in lib. de vita cleric. statuit: «Quando severitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellet, non exigitur a vobis, cum vos modum excessisse sentietis, ut a subditis veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subjectos, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.» Ubi tamen ejusmodi periculum non est, laudabiliter aget etiam qui a subdito læso veniam petit. Uti fecit S. Joannes Eleemosynarius episcopus, qui cum subditum, quem acius ob crimen aliquod corripuerat, indignari sibi intelligeret, ab altari dicessit et veniam ab eo precari cœpit. Quod videns subditus, idem et ipse fecit, ac culpam suam agnovit, Leontius, in ejus vita. Quod si feceris quantum in te est, inflexibilem tamen adversarium videris: nihil hinc angaris, quia per te non stetit, quominus componeretur dissidium. Redundabit in caput illius, qui reconciliari noluit. Quod si tu causam odii non dedisti, non est cur veniam petas. Laudabiliter tamen feceris si etiam prior occasiones quæsieris reconciliandi tibi fratrem. Fecit id gentilis Aristippus, qui prior adiit Æschinem a se nonnihil alienatum, et dixit: «Num quamprimum redibimus in gratiam ac nugari desinet

mus? An potius expectabimus, ut scurris inter pocula fabula fiamus.» Cui mox annuit Æschines, se libenter in gratiam rediturum. Tum Aristippus: *Memento igitur, quod cum essem natu major, prior te accesserim.* Cui Æschines: « Næ tu vir me longe es melior, siquidem a me simultatis a te sarcindæ factum est initium, » Plut. de cohib. ira et Laert. II.

VII. Docet, christianam libertatem non excludere legem, sed potius arctiori vinculo obligare ad virtutem, quam legem veterem. Audimus enim Christum in hodierno evangelio, non eximentem nos a legibus, sed arctius ligantem, ut sine impedimento liberius vacemus virtutibus et contineamus nos a vitiis. Quis enim nescit liberius agere et vivere homines in ea civitate, quæ fortissimis mœnibus, vallis, fossis et propugnaculis munita est? Atqui legis ejusmodi propugnacula sunt, quæ nos prohibent exire ad hostium castra, et ingredi ad nos hostem. Hinc religiosi maxima in libertate vivunt, qui tribus se votis adstrinxerunt: neque eos impedit aut infestat mundus opibus, nec caro voluptatibus, nec dæmon propriis desideriis. Hinc nulla major libertas, quam in cælo, ubi nemo quidquam malum velle aut operari potest. Errant ergo qui christianam libertatem existimant liberare ab omni lege, et concedere quidquid lubet. Noxia est hæc libertas et ad captivitatem diabolicam ducit: et tamen hanc adstruunt Lutherus et Calvinus quorum ille id lib. de libertate christiana scribit: « Christiano neque opera neque lex necessaria est, quia per fidem liber est ab omni lege: » et tom. 1. Wittemberg. edit. fol. CLXXXIX. et CXC. « Oportet, inquit, cor humanum legem Dei atque adeo Deum ipsum supra modum odisse. » (O Satanæ vocem!) Hic vero, l. III. instit. c. XIX. *Nihil mihi cum lege,* inquit, *quare? Quia libertatem habeo.* Et hocine est purum evangelium? Quid enim ait apostolus ad Rom. III. *Legem, inquit, destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.* Quid S. Augustinus, l. III. contra epist. Pelag. c. IV. *Quis ita impius est, inquit, ut dicat se propterea præcepta non servare, quod Christianus sit, non sub lege, sed sub gratia?* Et quomodo sine legibus stare possunt respublicæ? Sed missis pseudoprophetis istis, audiamus verum et magnum prophetam nostrum Christum, etc.

## CONCIO X.

### MYSTERIA.

- I. An prohibuerit lex vetus motus peccati internos? — II. Cur etiam concupiscentia prohibita? — III. Quomodo Christus legem veterem perfecit? — IV. Quid illi tres rei iudicii, concilii, gehennæ? — V.

Omnisne ira vel contumelia lethalis est? — VI. Cur non pudeat hominem iræ? — VII. Quænam ira gravissima? — VIII. Cur adeo accelerari jubetur reconciliatio? — IX. Infernus cur gehenna appellatur?

### THEMA.

*Ego autem dico vobis. Matth. V.*

Sanctus Augustinus, tract. VII in Joan. sacro evangelii codici tantam tribuit virtutem ut non animi tantum, sed et corporis morbos ab eo depelli posse autumet, si cum fide adhibeatur. « Cum caput, inquit, tibi dolet, laudamus si evangelium ad corpus tibi apposueris, et non ad ligaturam cucurreris. » Rationem hujus rei dat angelicus doctor D. Thomas, II. II. q. XCVI. a. IV. cum ait: « Verbum Dei non est minoris efficaciam, quam reliquæ sanctorum: sed reliquiis utimur ad salutem, ergo pari modo, imo majori, ad eandem licet uti verbo Dei scripto, sive evangelio. » Atque hinc fortasse multi olim Christiani secum gerere evangelium solebant, ut nimirum ejus præsidio depellerent etiam mala quæ corpora afficiebant, venena et veneficia aliasque corporum miserias. Cæterum longe efficacior et certior est virtus s. evangelii contra morbos animi, et quia in hodierno evangelio plures eosque ejus generis morbos deprehendimus, iracundiæ motum in corde, contumeliam et contemptum in ore, homicidium in manibus et opere, applicemus evangelium cordi, ori, manibus et imprimis auribus nostris, ut tam graves animi morbos vel sanare evitare possimus.

I. Prohibuitne lex vetus motus peccati internos? Respon. prohibuisse quidem, sed implicite non expressis verbis, concupiscentia excepta, de qua expresse dictum: *Non concupisces.* Eo ipso enim quod prohibuit actus externos, prohibuit etiam internos, a quibus externi velut a fonte promanant, suatque ejusdem cum illis speciei. Quia vero disertis verbis actus illos non prohibuit lex, id nunc facit Christus, et quia Scribæ et Pharisei, leges illas perperam exponebant, et peccata interna non curabant, ideo illorum corruptelas hic omnino evertit. Defuit legi perspicuitas aliqua: defuit Scribis verus legis intellectus, quare legem nunc declarat, Phariseos autem corrigit et refellit. Proinde quod ait glossa interlin. ad Philip. III. *Lex vetus manum prohibebat, non animum, intelligendum est juxta ea, quæ diximus.*

II. Quamobrem concupiscentia etiam prohibita est? Respondet ad hoc D. Thomas, opuse. VII. sex ob causas. « Concupiscentia, inquit, vetita est primo, propter concupiscentiæ infinitatem, concupiscentia enim quid infinitum est; quilibet autem sapiens debet intendere finem

aliquem, imo nullus debet ire per viam infinitam; Eccles. V. avarus non implebitur pecunia, Isaia V. Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis: et quod concupiscentia nunquam sætetur, ratio est, quia cor hominis factum est ad recipiendum Deum. Unde August. in l. confess. Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Id ergo quod minus est Deo, ipsum implere non potest; Psalm. CII. Qui replet in bonis desiderium tuum. Secundo, quia aufert quietem, qua multum est delectabilis: semper enim cupidi solliciti sunt acquirere non habita, et habita custodire; Eccl. V. Saturitas divitis non sinit eum dormire; Matth. VI. Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum: et ideo Christus; Luc. VIII. divitias spinis assimilavit, ut dicit Gregorius. Tertio, quia causat in divitiis inutilitatem: facit divitias esse non utiles, nec sibi, nec aliis: non enim utuntur eis nisi conservando; Eccl. XIV. Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia. Quarto, quia tollit justitiæ æquitatem; Exod. XXIII. Ne accipias munera quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum; Eccl. XXXI. Qui aurum diligit non justificabitur. Quinto, quia necat charitatem Dei et proximi; quia secundum August. quanto magis habet quis de charitate, tanto minus de cupiditate; et e converso; Eccl. VII. Neque fratrem charissimum auro sperveris; necat etiam charitatem Dei, quia sicut nemo potest duobus dominis servire, ita neque Deo et mammonæ, ut dicitur, Matth. VI. Sexto, quia producit omnem iniquitatem, est enim radix omnium malorum; et ideo si in corde radicata est, et homicidium, et furtum, et omnia mala operatur, et ideo dicit apostolus, 1. Timoth. VI. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et novicia, quæ mergunt homines in interitum et perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas. »

III. Qua ratione Christus legem veterem in hodierno evangelio perfecit seu implevit? Respondeo primo, non perfecisse eo sensu, quasi eam emendare aut corrigere vellet, quia pro illo tempore mala non erat, sed bona et sapientissime a Deo lata, pro illius populi captu: ideo Christus nunquam dixit ulla legis præcepta mala esse, aut servanda non esse.

Respondeo secundo, perfecisse et implevisse aliis modis: Primo, quia legem declaravit et explanavit, atque a corruptelis et perversis Phariseorum interpretationibus purgavit.

Secundo, quia ei perfectionem addidit vetando etiam peccatorum actus internos et quidem perspicuis verbis, quod non fecerat lex vetus,

uti suprad. sic pictor inchoatæ et adumbratæ imagini supremam manum imponit, apponendo colores vivaciores, quibus priores non tam tollit, quam illustrat et perficit.

Tertio, quia aliis ad eam servandam gratiam et virtutem dedit, quam non poterat dare lex ante Christum.

Quarto, quia implevit illa, quæ lex vetus sive promittebat sive præfigurabat; qua ratione ceremonialia præcepta perfecit potius quam destruxit, tum quia reipsa exhibuit quæ per illas cæremônias adumbrabantur, uti eucharistiam pro agno, baptismum pro circumcissione, passionem et resurrectionem suam pro cæremoniis, quibus illæ figurabantur; tum quia docuit quomodo ea secundum spiritum intellecta perfectius impleri debeant, quam secundum litteram, uti cum pro circumcissione carnis docuit circumcissionem cordis; tum denique quia ostendit ceremonialia illa jam impleta esse, nec amplius obligandi vim habere, quoniam hoc ipsum jam a lege fuerat prædictum.

Quinto, quia pro temporalibus præmiis et suppliciis, quæ constituta erant legis observatoribus vel transgressoribus, æterna promisit vel comminatus est.

IV. Quid sibi volunt tres illi rei, iudicii, concilii, gehennæ? Respondeo designare tres iracundiæ et quidem mortiferæ, non venialis tantum, (uti probabilius est) gradus et penas æterni supplicii eis correspondentes pro cujusque gravitate. Alludit enim Dominus ad iudicia Hebræorum, eorumque tribunalia. Card. Baronius, tom. 1. anal. anno Domini 32. observat, apud Hebræos duplex fuisse iudicium pecuniarum et capitale: illud *mammonot*, hoc *nephassot* seu vitæ iudicium appellatum. Iudicium vero tria tribunalia; primum dicebatur domus iudicii trium virorum, qui minores iudicabant causas: secundum, domus iudicii viginti trium virorum, seu synedrion parvum, in qua majores cause cognoscebantur: tertium, septuaginta duorum virorum, synedrion magnum dictum, in quo de gravissimis, quæ ad summam respublicæ pertinebant: de tribu, lege, rege, sacerdote summo, cognoscebatur. Jam ergo primus, iracundiæ gradus est, cum ira mortifera occupat solum cor: secundus, cum prorumpit in contumeliam: tertius, cum in graviorem adhuc proximi contemptum. Itaque vult Dominus his omnibus deberi supplicia æterna, graviora et graviora pro cujusque excessu majore et majore. S. Chrysostomus existimat duos priores gradus intelligendos de veniali ira, siquidem ultimo tantum gradui gehenna deputatur. Probabile est hoc; sed videtur verisimilius, quod diximus, de lethali ira omnes capiendos, siquidem Do-